QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XIV. FEBR..

M. STEPHANO BACHOT Doctore Medico, Præside.

1079

An affectibus Melancholicis Manna?

HOMINEM, si temperiem, structuram, & artificium spectes, naturæ gaudentis opus, imò totam naturam dixeris, ἢ ἄθροισμα παντοδαπόν cùm in se cœlum, astra, stellas, elementa, plantas, animalia comprehendat. Hinc illum omnem creaturam (ἐπάντα πᾶς εἰ) tam sacræ, quàm prophanæ literæ prædicarunt. Ne credas piaculum, si quis etiam deum appellitet δι' τὴν υἱοθεσίαν, cùm omnis adoptio prolem imitetur. At, inquies, tanti non est hominis fabrica, cuius materia vilis, abiecta, corruptibilis, εὔφθαρτος, εὐαλλοίωτος καὶ εὐμετάβλητος, fateor: sed nos opus non æstimamus materiâ quantumuis diuite, sed artificiô, quod periti præsertim inspiciunt, & admirantur. ἐκπλήττει ἰδιώτην μὲν τὸ τῆς ὕλης κάλλος, τεχνίτην δὲ τὸ τῆς τέχνης.

IDEM homo, si morborum quibus vndiquaque patet iliadem, ἅμαξαν καὶ σωρείαν expendas, eiusdem naturæ nouercantis ludibrium est. Imprimis γυμνὸς καὶ ἄοπλος prodit in luminis auras, fletibus spectatores salutans, neque oratione primas agens partes, sed lacrymis. Tribuit Natura cæteris animalibus, testas, cortices, villos, setas, pennas, squamas, vellera, cornua, dentes, vngues, quibus & se tueri, & alia lacessere possunt: soli homini dura & immitis extitit, vt is omnium animalium infœlicissimus foret, nisi eadem ipsi ἀντ' ἀσπίδων ἁπασῶν mentem dedisset & manus. Totam eius ætatem occupat morborum omne genus, vt ab his paucissimi immunes degant, vixque toto orbe reperias πελῶν ἀπειθήτων ὀνόματα: sicque fit homo μεγαλομικρὸς καὶ ὑψηλοταπεινός omnium morborum veluti scopus & præda, à quibus solâ morte liberatur, quæ licet sit πάντων τῶν φοβερῶν φοβερώτατον, est tamen homini, dum tot illius malis blandum imponit finem, quies, munus, portus, libertas, effugium, fœlicitas, pharmacum, gratia.

PRIVSQVAM dies ille fatalis & decretorius aduenerit, hominis vita decumanis diuersorum affectuum fluctibus impellitur. Sed nulli contumaciùs eam impetunt, licet minori plerumq; discrimine, quàm qui ab humore melancholico suam ducunt originem. Is si à naturali statu non degeneret, seruetque suum κατὰ φύσιν σχῆμα καὶ εἶδος σύμφυτον, haud absimilis τῇ ἐσθῆτι στιλβούσῃ καὶ πολλῶν τὴν αὐγὴν ἐν τῷ μέλανι κρυπτούσῃ nihil non gignit laudabile, cùm ingeniosos, constantes & magnanimos creet; sin minùs, omnia susq; deque geruntur. Hinc duplex humor niger statuitur, vnus naturalis qui sanguinis vel laudatissimi ὑπόστασίς τε καὶ ἰλὺς est, cuius excrementi fundus & receptaculum lien, arteriosum illud viscus: innaturalis alter qui propriè μέλαινα χολὴ nuncupatur, quæ fit vel ab humore melancholico, vel à bile perustis. Suos quisque morbos humor tam melancholicus, quàm atrabilarius generat. Ab illo si exsuperet, melancholia delirij quoddam genus febris expers, at non mœroris & metus, quæ sunt genuina τῆς μελαγχολικῆς διαθέσεως argumenta, cuius infinitæ pene sunt species: quartana πάθος ἀκίνδυνον μὲν, χρονιώτερον δέ: scirrhus durus tumor & indolens. Ab hoc τῆς μανίας genus omne, elephantiasis, cancer, dysenteria lethalis. Hi affectus cùm in eximiâ nigri humoris & viscerum siccitate suam habeant hyparxin, rebelles ac refractarij passim audiunt, nec facilè cedunt medentium industriæ; quod enim siccum est, καὶ τοῦτο μόνιμόν τε καὶ δυσαπόλυτόν ἐστι.

QVICQVID morborum est contrariam sui curationem postulat: qui secus egerit, medici personam non sustinet, sed sycophantæ, quales hâc in vrbe non paucos cernimus, qui vetus illud καὶ πολυθρύλλητον dogma reprobantes, καὶ καταμεμεληκότες τὰ τῆς τέχνης αὐτῶν ἔργα, morbos similibus curari ridiculè profitentur. Sed γνήσιος καὶ ἠλαφισμένος ἰατρὸς longè aliter sentit, dum receptissimâ iuxta ac vetustissimâ medendi methodo contraria contrariis morbis opponit medicamina. Sic febri quæ refrigerant, plenitudini quæ vacuant, inanitioni quæ implent, præsentissimo remedio sunt. Simili fermè modo melancholicis morbis, non chymicum Buthleri lapidem, non aquas illas acidulas, quas cucullatus nescio quis ἄμουσος καὶ ἀναλφάβητος vrbis magnatibus passim exhibet sorbillandas; non fatua illa extorum vti lienis iuscula, quæ dum nonnulli suis ægris stolidè propinant, se quoque artis magistris atque proceribus ridendos propinant; sed quæ insigniter humectant, ea sola conuenire contendimus: in quibus principatum obtinet venæ sectio, nulli non ætati, nulli non morbo magno proficua: si saluatellæ peperceris, cuius incisio ficulnum planè & nullius emolumenti præsidium. Phlebotomiam è directo & per epaphæresim celebratam excipiet ipsa purgatio, quam illa debet semper antecedere, vbi par occurrit vtriusque præsidij necessitas. Hæc autem non ex validioribus ac vehementioribus catharticis, quibus dirus ille & immitis humor potius excandescit, magisque, si fas ita loqui, furiatur: non emetico, aliàs salutari præsidio: sed mollioribus ac benignioribus medicamentis sæpius per epicrasim repetitis, quæ prædictum hunc humorem non tam putredine quàm vredine sæuientem, nullo incendii metu, nullâque virium offensione foras eliminent.

VT ex quouis lignô non fit Mercurius, ita nec ex quouis medicamine melanagoga purgatio, sed ex his maximè quæ virtute quâdam ἀδήλῳ humorem melancholicum proliciunt, qualia sunt senna, tamarindi, cassia, polypodium, epithymus, syrupus Regis Sabor, &c. Caue ab horragogis cùm nec morbo, nec causæ belligerent, sed siccam viscerum intemperiem adaugeant, humorem melancholicum suo sero expolient, suum enim cuilibet humori serum est, quo defraudatus immane quantum debacchatur ac sæuit, suæ feritati relictus. Iure igitur Medici χαρίεντες in affectibus melancholicis vulgare Manna, quod passim apud seplasiarios vænit, tanquam noxium medicamentum explodunt: quod multô adulteratum scammoniô sic intimum corpus exsiccat & humorem melancholicum exasperat, vt inde insit ipsi maior contumacia & feritas. Rectiùs consulunt qui humectationi viscerum student, frequentibus clysmis, multiplici venarum sectione, idoneis purgationibus, balneis multarum hebdomadum, lacte asinino, quo humorum acrimonia demulceatur, partium squalor & siccitas mitigetur, ac benigno quodam rore perfundatur: aquarum mineralium fugâ, potu vitulino, qui verum & genuinum Manna melancholicorum est, victu humido; qui denique animi mœrori medicinam quærunt consortiô, colloquiis, deambulationibus, spectaculis, rerum etiam venerearum vsu legitimo, mentis demum tranquillitate, quam nulla φρόντις ἀδελφότατος interturbet. Hæc si præstiteris, desideratum scopum attinges, ac melancholicos ferè omnes ἐκ τῶν ἑαυτοὺς τιμωρουμένων καὶ μεμψιμοίρων ex morosis, difficilibus, querulis, tandem aliquando facies αὐταρκεστάτους.

Non ergo affectibus Melancholicis Manna.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.



M. Tussanus Fontaine.	*M. Claudius le Vasseur.*	*M. Franciscus Guenault.*
M. Franciscus Pajot.	*M. Dyonisius Ioncquet.*	*M. Ioannes Merlet Pr. Phar.*
M. Florimundus Langlois.	*M. Iacobus Gauois.*	*M. Iacobus Perreau.*

Proponebat Lutetiæ PETRVS LE LARGE Parisinus, A. R. S. H. M. DC. LVIII.